



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Nicolai Cavssini Trecensis E Societate Iesv, De Eloquentia  
Sacra Et Hvmana**

**Caussin, Nicolas**

**Coloniae Agrippinae, 1626**

De recto vsu similitudinis, & varia eius tractatione. Capvt LVII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68724](#)

Sen. epi. 51.

propositionem colligendam solent; ut  
Effeminat animos amoenitas nimia: nec  
dubie aliquid ad corruptendum vigorem  
potest regio. Quamlibet viam patiuntur iu-  
norum, quorum durata in aspero vngula est.  
In molli palustriique pascuo saginata, cito  
subteruntur, & fortior miles ex fragore  
venit; segnis est urbanus, & verna. Nullum  
laborum recusat manus, quae ad arma ab a-  
rato transferuntur; in primo deficit pulchritudine  
ille vinctus, & nitidus.

Quorsum tot similia tam acutè vibrata?  
nisi illud colligat: senior loci disciplina fir-  
mat ingenium.

Inductio igitur, ut vides, à parabola, & ex-  
emplis non differt, nisi quod illa uno dunta-  
xat claudi, hæc non nisi multis similibus  
perfici, comprehendique potest. Alioqui pa-  
rabolas tum naturales, tum morales, & commis-  
generis exempla complectitur.

Hæc ad confirmandam resurrectionem ex  
natura ducta sunt.

Tert. Apol.  
c. 48.

Lux quotidie imperfecta resplendet, & te-  
nebra pari vice decadendo succedunt. Sydera  
defuncta viuescant; tempora ubi fluiuntur  
incipiunt, fructus consummantur, & redeunt.  
Certe, semina non nisi corrupta, & dissoluta,  
secundius surgunt. Omnia pereundo seruantur,  
omnia de interitu reformantur.

Pulcherrima  
ma indu-  
strio per  
vixipariv.  
Tertul. in  
Apol. c. 12.

Hæc quæ sequitur artificiosè per vixipariv collecta, in qua ostendit omnia, quæ in Chri-  
stianos exercenter supplicia, in idola ab ipsis  
Ethnicis usurpari, Crucibus, & stipibus im-  
ponitis Christianos, quod simulachrum non  
prius argilla deformat, Cruci, & stipiti super-  
structi. In patibulo primum corpus Dei ve-  
stri dedicatur. Vngulis deraditis latera Chri-  
stianorum; At in Deos vestros per omnia mem-  
bra validius incumbunt ascriæ, & runcinæ, &  
seobinæ. Ceruices ponimus; ante plumbeum,  
& glutinum, & gomphos, sine capite sunt Dij  
vestri. Ad bestias impellimur, certè quas, Li-  
bero, & Cybele, & Cœlesti applicatis. Igni-  
bus vrimur, hoc & illi à prima quidem massa.  
In metalla dannamur: inde censentur Dij  
vestri. In insulas relegamur: solet & in insula  
aliquis Deus vester, aut nasci, aut mori. Con-  
cludit tandem, si per hæc constat diuinitas a-  
liqua; ergo cum qui puniuntur, consecrantur,  
& numina erunt dicenda supplicia.

Aliæ sunt morales, & valde populares,  
quæ est ista D. Augustini.

Longam etiam malam nemo vult habe-

D. Aug.

re, nec ferre. Longam vitam malam penè o-  
mnes volunt habere, vtique, si grāde est quod  
ducio, & viuinus, bonum sit omnium grande. Quid e-  
nimi vis male, dic mihi? puto nihil in omni-  
bus actionibus, cogitationibus, cupiditatib.  
nihil male vis, terram malam non vis, se-  
tem malam non vis vtique, sed bonam; bo-  
nam arborem vis, equum bonū, seruum bo-  
num, amicum bonum, filium bonum, vxorem  
bonam. Et quid hæc magna, quoniam quidem  
ipsam vestem malam non vis habere, sed bo-  
nam. Postremò caligam non vis habere nisi  
bonam. Aut da mihi aliquid te velle, quod  
malum est, solam animam vis habere mala.  
Quid te ostendisti? quid de te tu ipse meru-  
sti, non vis esse malum, nisi te solum.

Ex eo vult concludere, cum bonum esse o-  
portere, qui omnia bona appetit.

Planè ista, que contortius vibrantur mul-  
tim habent. & ad probandum quidpiam efficacissimæ sunt. Quæ longius  
trahuntur in rebus præcipue notis, & com-  
munibus, rædio sunt obnoxia.

Frequentes sunt apud Ciceronem, & De-  
mosthenem exemplorū inductiones, in qui-  
bus hæc temperies seruanda est, ut si fueri-  
nota, & communia, quæ celerrimè indica-  
tis, aliando solis nominibus expediuntur:  
sunt habent aliquid melioris nota, trahenda ca-  
runt longiusculè, quod tanien sine aurum  
satietate fieri velim. Vide quibus acuminibus  
ista vibratur apud Senecam, pro sepeliendo  
sui homicida.

Omnibus natura sepulturam dedit. Nau-  
fragos idem fluētus, qui expulit, sepelit, suf-  
fixorum corpora crucibus in sepulturam su-  
am defluunt. Eos qui viui vrnunt poena fu-  
nerat. Irascere intersectori, sed misericere in-  
terfecti.

#### De recto vsu similitudinis, & varia eius tractatione.

#### C A P V T L V I I .

Primò caendum est, ne similiū grata, vixit  
qua solet esse popularibus præsertim au-  
ribus illecebra, in nimiam fœcunditatem lu-  
xuriet.

Vidi ego alias huius temporis scripto-  
rum orationes retrectas similibus tam crebris,  
vt imagines ipsæ impedimento essent, quo  
minus res dilectionis oculis, atque inter-  
noxi.

nosei possent. Quod certè vitium omnino puerile est, & a grauitate orationis longe dis-  
tinctum, et si enim in demonstratio genere  
fieri solet liberiore cultu compra dicendi vis,  
& ratio, nunquam tamen centones similitu-  
dinem, iustarum orationum loco numerari  
velim: prudentis est manum de tabula præ-  
clare, & loco ponere, nec in rebus etiam pul-  
chris, florentibus, & laetis, fatali quadam inge-  
ni redundantis lasciuia modum excedere.

*Similitudi-  
nes audi-  
toribus acci-  
mendanda.*

Secundò, cum varia sint genera similitudi-  
num, & ex varijs desumantur rebus: pruden-  
tis erit Oratoris diligenter inspicere, quid cu-  
iusque aures ferant, aut flomachus patiarur.  
Num enim ridiculum est apud plebeios, &  
excellioris ingenij homines, similitudines ex  
reconditis disciplinis accersere, vt in eo ip-  
so, quo facem perspicuitatis contendis ac-  
cendere, maiores tenebras ossuadas.

Hac in re exemplum præbuerunt magni,  
& spectabilis viri, qui cum apud plebem age-  
rent, familiaria quaque, quasi premansos ad-  
huc infantibus e bos in medium attulerunt.  
Vbi verò apud eruditos viros est sermo, licet  
exquisitoribus inuenis pacere, & ijs simili-  
bus, que variam sapient eruditonem, quam-  
quam parcè semper, & sobrie, vt rerum, loco-  
rum, temporumque ratio prescribit, usurpan-  
da.

*Vitiosissimae  
similitudi-  
nes hyper-  
bolicae.*

Tertiò prospiciendum est, ne dum subli-  
miores quærimus similitudines, quibus deli-  
catae aures pascamus in torras, violentas, &  
frigidas incidamus. Quod plerisque tamen  
nimis familiare est. Alij enim quamvis rem  
modicam, aut certè mediocrem tractent, con-  
tinuo magnarum rerum, quas illi comparent,  
expromunt imagines, & pumilionem per  
Giganis col offsum, non sine risu expirunt.  
Non secus, ac si quis in Homeri Batracho-  
myomachia ranam, cui pro clypeo folium,  
pro lancea sit iuncus, cum Pallade AEgidis  
terribus cincta, & hastam, instar fulminis  
quasi ente compareat.

Hæc prorsus ridicula sunt, nec tolerabili-  
ora, quæ nugator sophista in Iosocratem estu-  
dit, cum quippe cum Agamemnone com-  
parabat, quod, vt hic intra decennium Troiā  
expugnasset, sic ille decennali labore panegy-  
ricam quandam orationem consummasset.  
Præclara comparatio Imperatoris cum So-  
phista, orationis cū vrbe, euersoris, cum per-  
fectione.

Quid qui capillos Stratonices Reginę ra-

tos, & foedos, cum delicatissimis hiacinthi  
floribus contulit, addito etiam Homeri ver-  
sus:

Οὐλας ἵκε κόμας ὑπανθηνάς Λύδει δέ Lucia in-  
puias.

An is tandem contra eloquentiam, an po-  
tius contra veritatem gratissime peccauit?

Excidunt pleraque similia, partim adul-  
toribus, partim etiam adolescentibus, qui

magni sunt hyperbolarum amatores.

Quarò, contrarium etiam nonnunquam Non sunt  
virtutum accedit, cum quæ sua natura magna admittenda  
sunt, minutulis quibusdam similitudinibus minuta ad  
deretur: quo in genere peccasse animad- ampla qua-  
ueritur à Longino poeta, qui tonitrua  
cum tubarum clangoribus nimis demissè ficienda  
comparauit, quanquam cum aliquo ad- dam signis  
iuncto per proportionem dictum tolera-  
bilis videtur, vt cum Tryphiodorus toni-  
tri, non tubam simpliciter dixit, sed tubam  
cælestem, οὐ γειτονεῖ σάλπιγγα: cum quo si-  
milter Nonnus.

Βροταῖοις πατάγοισι Διὸς μυχῆσατο Dion. l. 4.  
σάλπιγξ.

Occurrent etiam nonnunquam non modo  
tenues, sed etiam ridiculae, & sordidae, qui-  
bus prorsus abstinendum est, nisi forte quis  
ad facetias, & risum componat orationem,  
aut ingenuam morum simplicitatem, qua-  
lis est in rusticis, efformare velit. Tale  
est illud in poemate quodam Gallico de  
rustico homine, qui foro, & tabularijs an-  
tea inuisis, cum forte plenissimum illum  
confessum Senatus, Patrumque purpu-  
ratorum coecum contemplatus esset, Cu-  
mo animæ candidissimæ, nec dissimilis illi,  
quem Dion in Venatore proprijs depingit Cauendū a  
scurrilibus,

Quæ verò sordidae aliquid habent scurri-  
litatis, potius Atellanarum exordia, quam Dion. in  
Oratoriæ grauitatem decent.

Nec placent etiam apud graues personas,  
que ex sordidis, & contemptis artibus afflu-  
muntur, quod eloquentia dignitatem de-  
terere non mediocriter possint. At in re-  
bus diuinis prudenter admodum inceden-  
sunt arripiendæ, quibus res sacras com. In diuinis  
paremus. Quamvis enim sua natura profanariū  
omnem rerum inferiorum prestantiam exce- historiarū  
dant, non est tamen rectum, quando fieri maxim. &  
aliter.

*verò fabu-* aliter non potest, ex ijs rebus, quae in sensu  
*larum simi-* nostros cadunt, celiere similitudines, modò  
*litudines* illud accommodatè, & circumspetè fiat. *No-*

*lim enim,* quod plerique præpostè admodum faciunt, poetarum fables ad fidei nostræ mysteria transferre. A Eternam patris sapientiam cum Minerua conferre; Virginem Mariam, cum Danae auræ cœlestis rorœ fœta; Castores ex ovi testa emergentes, cum Christo nascente. Naturam humanam Sospi-tatoris nostri beneficio in plenam libertarem assertam, cum Andromeda à Perseo libera-ta: quæ omnia, ut ait Iustinus Martyr. Dœ-mon sacrorum s̄i nia in peruersum imitamē-tum excogitauit, ut Christianæ religioni il-luderet, Ethnicos homines infinitis supersti-tionibus irreciret.

*Iustin.*  
*Mari. Apo-*  
*log. 2. p. 157.*  
*edit. Rob.*  
*Stephani.*

Tέτων μὲν τὸ προφητικῶν λόγων ἀχθ-

σαντες, οἱ δάμιονες

Διονύσιον μὲν ἐφάσαν γεγονέντας ὡς τὸ

Δίος,

&c. quæ copiosis verbis proseguitur.

Neque verò tantum in diuinis, sed in gra-  
 uiis etiam personarum laude proficiendū  
 est, ne qua vilis, aut ambigua similitudo ir-  
 repeat, quæ in alios s̄eūs facile torqueri pos-  
 sit, ab ijs, qui omnia ia peiorē partem in-  
 terpretantur.

Quod verò ad tractationem similitudinis attinet, varijs fieri solet modis. Primus est, cùm nulla intercedit similitudinis nota, quāuis re ipsa sit similitudo; ut cùm dicimus: Scutum est Martis Phiala, arcus fistula sine chordis, ita equus indomitus: hæc enim simili-tudinis habent, non naturæ rationem, licet per similitudinem minimè effterantur.

Secundus est, cùm nota similitudinis apponitur, sed tamen similitudo concise sine villa partium deductione, in unum membrum contrahitur. Quo in genere plerique sunt similitudines proverbiales, & acuta, quales sūt istæ.

*Arist. l. 3. c.* Populus Atheniensis similis est Naucle-ro robusto, & surdastro. Demosthenes.

*2.* Samij similes sunt infantibus, cibum qui-dem sumunt, sed flentes.

Oratores Athenienses similes sunt nutri-cibus, quæ cibos deglutiunt, & infantium ora saliuia perungunt. Democrites.

Cephalodotus thuri similis est, dum perit oblectat. Antisthenes.

Demosthenes tibijs similis est, quibus si

collum demas, reliquum erit inutile. AE-schines.

Hipponax similis est vespæ, non magnum quidem murmur excitat, sed acriter pungit. Dio Prusæus.

Plenæ sunt istæ similitudines gratiæ, & feci-stitutas.

Tertius modus est, cùm similitudo suis partibus, hoc est, propositione, & adoposi-cōstar, sed illæ non adeò fusè explicantur: qua-lis est ista.

Ut ignis in aquam coniectus continuo ex-Cic. p. 191  
 tingitur, & refrigeratur; sic referens fal-Rosio.  
 sum crimen, in purissimam, ac castissimam  
 vitam collatum, statim concidit.

Ibi sunt tria, quæ sibi respondent: ignis,  
 crimen, aqua, vita; refrigerari, excidere.

Quartus modus explicatissimus est, cùm non modò similitudo suis constat partibus, sed illæ fusa, æquabili que oratione cum di-gnitate explicantur, quod fieri maximè sole-t, cùm dictum aliquod, vel factum ex histo-ria proponitur, & narratur, cui succedit Apo-dosis, in qua partes partibus accommodatatur. Talis est illa apud Ciceronem pro Roscio, num. 50.

Quare facilè omnes patimur esse quam-plurimos accusatores, quod Innoçens si accu-satus sit, absoluī potest, nocens int̄i accusatus fuerit, condemnari non potest.

( Deinde ) Anseribus cibaria publicè lo-cantur, & canes aluntur in Capitolio, ut si-gnificetur si fures venerint. At si fures inter-noscere non possunt, significant tamen, si qui noctu in capitolium venerint, & quia id est suscipiōsum, tametsi bestiae sint, tamen in e-am partem potius peccant, quæ est cautor. Quod si luce quoque canes latrent, cum Deos salutatum aliqui venerint, opinor ijs crura suffringantur, quod aeres sint etiam tum cùm suspicio nulla sit. ( Tandem sequitur redditio satis ampla, & copiosa.)

Similima est accusatorum ratio. Alij ye-strum anseres sunt, qui tantummodo claman-t, nocere non possunt. Alij canes, qui & latrare, & mordere possunt. Cibaria vobis præberi videmus: Vos autem maximè de-betis, in eos impetum facere, qui merentur. Hoc populo graiissimum est. Deinde si voletis, etiam tum cùm verisimile erit aliqua commissione in suspicione, latrate, id quoque concedi potest. Sin autem sic agitis, ut argua-tis aliquicun patrem occidisse, neque dicere posse.

possitis, aut quare, aut quomodo, at tantummodo sine suspicione latrabitis, cruta quidem nemo vobis suffringet, sed si ego vos bene noui, literam illam, cui vos vique eo inimici estis, ut etiam alias omnes oderitis, ita vehementer ad caput affigent, ut postea neminem alium, nisi fortunas vestras accusare possitis.

Et hæc de similitudine: dissimilitudo illi opposita fit, cum ea, quæ simul comparan-

tur, diuersa esse ostenduntur, vt  
Soles occidere, & redire possunt,  
Nobis cùm semel occidit brenū lux,  
Nox est perpetua una dormienda.  
Eius tota ratio ex similitudine satis manifeste colligitur: Vtius verò in confusatione similitudinum, potissimum vigere solet,

*Finis libri quarti.*

DE  
A M P L I F I C A-  
T I O N E  
LIBER QVINTVS.  
AC PRIMVM:

*De vitio mala Amplificationis.*

CAPVT PRIMVM.



Ocorum tractationi satis opinor appositi subiungetur amplificatio, quæ ex locorum congerie coalescere, atque innutriti solet.

Dici non potest, quām varijs sint in hac parte tenuiorum Rhetorum errores, qui hoc vnum rati decus eloquentia: si amplificant, neque circumspetè res obseruant, neque modum vllum tenent; sed dum augendi studio pruriunt in omnibus, importunitissima garrulitate miseris aures obruiunt. Haud scio an vllum sit vitium, magis à vera, germanaque eloquentia alienum, quām incepta, & puerilis amplificatio, rerum, & sententiarium inanis, vanoq[ue] strepitu verborum intemperantius lascivians. Cui enim

non patiunt nauseam illæ lente circumductions, quas postquam cum tædio exsorberis, oratione pernoctata fatigatus, co[er]is Laconicum illud exclamare; *Nihil est prater vocem.*

Et sunt, qui huiusmodi amplificatores eloquentes putant: Ego cum prudentia, que prima pars est eloquacia; sint expertes, ineptos, & pueriles censeo, quin arbitror plus ad vim dicendi facere sententiam appositi dicetam, quam totam illam redundantiam puerilis ingenij.

Quæ est igitur (dices) optima ratio amplificationis? magnum est definire, & multum ad totam dicendi rationem facit.

Siquidem rectam amplificationem *Ora differat bo-*  
*tionis animam* eloquentes viri nō minarunt, na*amplifi-*  
*imprimitis* arbitror in eo differre magnorum *catio à mā-*  
*ora la.*

CC